



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Universitätsbibliothek Paderborn**

## **Examen Confessariorum Repetitum**

**Schoonaerts, Gregor**

**Coloniæ Agrippinæ**

**VD18 14542323-001**

§. 1. De crebro in crimina relapsu.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41226**

320 TRACT. DE SACRĀM. POENITENTIA.  
taliter, delectando hujusmodi interrogatiō-  
bus, & propter delectationem faciendo eas.

## C A P U T V.

*Resolutiones practicæ procedendi cum re-  
labentibus, & consuetudinariis.*

### §. I. *De crebro in crimina relapsu.*

**N**on diffiteor, quin pœnitentia sœpè in idem  
crimen relabentum possit esse quandoque  
vera: sed id probandum assumo, recidivam cre-  
bram, & citam in crimina adeò esse suspectam,  
ut sœpissimè absolutio differatur prudenter. Audi  
S. Thom. à Villa-Nova Conc. 6. in Dom. 4. Ad-  
ventū: *Vis cognoscere, quod propositum sit legiti-  
num, & quod adulterinum? Si post statim mutas  
propositum, & redis, credet tunc anima, hic quem  
habes, non est thus vir: est propositum adulteri-  
num, nam non agit vitam longam cum uxore con-  
scientia.*

Si ergò Confessarius advertit pœnitentem se-  
piùs in eadem labi crimina sinè conscientiae re-  
morsu, & ex mediorum præscriptorum neglectu,  
proponat illi

1. Amentiam illorum ægrotorum, qui obla-  
tas sœpè potionēs medicas, quibus certam obti-  
nerent salutem, spernunt. 2. Quale propositum  
censeretur habere, qui viro honorato post im-  
paetam alapam, se de injuria illata dolere asse-  
ceret continuè, moxque à condonatione ob-  
tentia

enta alapas repeteret? Ostensâ igitur propositi imbecillitate, blandè, & suaviter pœnitentem disponat, ut patiatur paulisper absolutonem differri, donec firmioribus operum indiciis testam fecerit propositi constantiam. Nec Confessarii faciles se exhibeant, ut impendant absoluti-  
nem, ad eam, quam faciunt pœnitentes pollicitatio-  
nem se emendandi, occasionem proximam deserendi,  
Eccl. diligens examen instituendum est, an idem  
in anteactis confessionibus jam tum promiserint: SI  
QUIDEM ID POLLICITI FUERINT, NEC TAMEN STETE-  
RINT VERBO, NON EST, QUOD CONFESSARIUS FIDEM  
HABEAT, SED ABSOLUTIONEM DIFFERAT, DONEC  
ALIUQO TEMPORE NON REPENTENTES VIXERINT.  
S. Franc. Sales. in Instruct. Synod. tit. 9. cap. 5.

Quid si Pœnitens ægrè ferat Absolutionem differri?

R. Proponat nervosè Confessarius similitu-  
dinem ægroti, cui Medicus non potest pro præ-  
senti pharmacum præscribere, nisi fortè, & pro-  
babiliter causativum mortis, certus tamen, quòd  
brevità sit subministraturus, quo indubitatam  
adipiscetur sanitatem, an æger suæ adeò erit  
salutis prodigus, ut ad breve tempus exspectare  
renuat? Nonne anima plus est, quam corpus?

Si tamen Pœnitens, antequam Confessarium  
accederet, ita se præparâisset, ut quidem vero-  
similiter Confessario constaret de vera cordis  
conversione, licet de ea moraliter non esset cer-  
tus, & prævideret ex negatione Absolutionis  
grayia obventura incommoda, V. G. vel quid

ad laxiores diverteret, vel curam salutis neglexeret; judico expedire, ut conditionata impendatur Absolutio, cum hac cautione, ut in subsequenti Confessione generaliter ad minus peccata confessa, quæ fortè sunt remissa, reperteret, non tamen antè communiceret.

## C A S U S XXVI.

*Quomodo Confessarius Pœnitentem relabentem à recidiva deterrebit?*

Notandum, alios esse recidivos ex fragilitate, sed admodum culpabili, alios ex malitia: cum illis mitius agendum, cum istis severius.

R. Ut Confessarius Pœnitentem à recidiva deterreat, prudenter eum edocebit momentosas has veritates. 1. Quod, quā mensurā augent numerum peccatorum suorum, eādem augeant difficultatem salutis suæ, periculumque æternæ damnationis. 2. Quod pravi habitus majores, & majores quotidiè vires acquirant, pro majori & majori actuum multiplicatione. 3. Quod per consequens intellectus magis magisque obtenebescat. 4. Quod voluntas magis & magis debilitetur, & corrumpatur. 5. Quod gratiarum auxilia magis magisque subtrahantur. 6. Quod validius & validius efficiatur dæmonis in peccatorem imperium, quo sit, ut peccator ut plurimum absque resistentia cedat tentationi. 7. Quod ex frequenti iteratione nascatur consuetudo, ex consuetudine (juxta Aug. in se ipso expertum) necessitas, ex necessitate dura peccati servitus, &c.

§. 29